

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Wilhelm Ignaz Schütz

**Manuale Pacificum. Seu Quaestiones Viginti, Ex Instrumento Pacis, Religionem  
eiusque Exercitium concernentes**

[S.I.], 1667

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769358918>

Druck Freier  Zugang





Tc. 3686.





MANUALE PACIFICUM.  
SEV  
QVÆSTIONES  
VIGINTI.

*Ex*  
Instrumento Pacis, Religionem ejusque  
Exercitium concernen-  
tes.

COMPILETAE

à

GUILIELMO IGNATIO SCHÜTZ,  
Jurisconsulto.



Anno M D C L X V I I .

9:6

MANNAE PACIFICO

25 NOV 2 K VO  
LICINTI



1750 M DCXCVII



REVERENDISSIMO, ET IL-  
lustrissimo Principi, ac Do-  
mino,

**DN. IOACHIMO,**  
Eccles. Fuldensis Abbatii, S.R.I. Principi,  
Divæ Augustæ Archi-Cancellario, per  
Germaniam & Galliam Primati, L. Ba-  
roni Imperii de Gravenegus. Prin-  
cipi ac Domino suo Clemen-  
tissimo.

**C**onsecrari solent libri Principibus, ut  
sinistri quandoq; notati censuris ha-  
beant, quorum patrocinio se tueantur.  
Non ego hoc timeo, est enim Libellus hic mere  
pacificus, & nil nisi quod toti S. R. Imperio  
quoad Religionem, ejusq; exercitium sive pu-  
blicum, sive privatum, inter ejusdem Imperij  
Status perpetuo servandum placuit, continet:  
Eum Celsitudini Tuæ ideo consecro, ut subditi

A 2 tui

40

tui quâ Ecclesiastici, quâ saeculares, illo qua-  
dantenus adjuti cum suis diversæ religionis  
conciibus, & vicinis secundum mentem tu-  
am pacificam, pacifice vivere valeant.

Rever. & Illust. Celsit. Tuæ.

Servus humilius.

GUIL. IGNATIUS SCHÜTZ, D.



GER-

50  
GBRMANO LECTORI.

**N**on est mihi mens, in sequentibus questio-  
nibus, aut Iudicium, aut Interpretatio-  
nem, multo minus Impugnationem Instru-  
menti pacis suscipere. Illud enim S. C. Majes-  
tati, tanquam supremo Executor i pacis in-  
tactum, istud eis, qui vires Imperij intrinse-  
cus norunt, paciqz componendae insudarunt,  
merito relinquendum: Hoc art. 5. §. 36. vers.  
Veriusquè &c. severè & rigorosè prohibitum  
scio. Verè cùm nec omnibus Instrumen-  
tum pacis ad manus semper, nec contenta  
ejus perspecta esse, saepe expertus fuerim;  
Ea quæ Religionis exercitium tangunt, ex-  
terpere, & in simplices questiones aliquas  
resolvere volui, non tam ipso verborum sen-  
su, quam (ut possibile fuit) literâ ipsâ serva-  
ta. Tuum nunc erit illas legere, & sine  
contradictione custodire, nisi in art. ult. vers.

Qui vero, &c. ibidemqz constitutas pœ-  
nas incurrere velis.



A 3

Ar-

## ARGUMENTUM.

Dicitur Instrumentum Pacis. art. 5. §. 1.  
 vers. Transactio. Esse transactionis Ann. 1552.  
 Passav̄ init̄, & hanc Anno 1555. securā sepi-  
 usq; confirmat & Pacis Religionis, in nonnullis  
 hoc usq; controversialis articulis (in aliis omni-  
 bus capitulis rat̄e, sancte & inviolabilitate  
 servande) tam in judicis, quam alibi perpe-  
 suō observanda declaratio.

Videamus ergo, quid in Religionis, ejusq;  
 exercitij materia disponat. Sit

\* \* \* \* \*

### Quæstio. I.

Quare de Religionis materia in Instru-  
 mento Pacis dispositum sit? Respon. quia gra-  
 vamina inter Imperij statūs, illius causā ortā  
 præterito bello magnam causam, & occasio-  
 nem dederunt. art. 5. in princ. a.

A. Si proximiorem orti in Imperio  
 belli causam eamque aliam quam Reli-  
 gione in adduxeris, non contendam te-  
 cum, abysſus enim abysſum invocat, &  
 scio ab omnibus ferè aliter & aliter senti-  
 ri; quod non est hujus loci discutere.

Quid-

Quidquid sit, patet hinc, non tantum Ecclesiasticæ, sed & maximè Sæcularis esse potestatis, ante omnia de Religione cogitare, cum Regio sine Religione consistere nequeat, & hâc minus observata nil nisi vitia & exinde gravamina suboriri necesse sit.

## II.

*Quid sit Religio?* Resp. est (hic) Confessio publica exhibens Deo debitum cultum. b.

B. Videbatur annectenda quæstio hæc propter sequentia, quibus lucem adferre poterit.

## III.

*An inter ipsos Imperij status sit Religionis diversitas?* Resp. quod sic, & hoc per se patet. c.

C. Dicis hoc esse deplorandum. Et recte? sed cur? quia exinde animorum diversitas, quomodo enim quis DEI mutuens, amansque illi firmâ societate conjungi poterit, quem ipsum, quod colimus, Numen aversari credit, ac senten-

A 4 tia

tia animi, tantâ in re, quanta est DEUS,  
salusque nostra, à se dissentire intelligit?  
quomodo in Religionum diversitate pax  
stabilis? quomodo unitatis effectus pru-  
denter sperandi?

## IV.

*Quotuplex sit etiam inter Imperij statutus Re-  
ligionis diversitas? Responderetur hodie tri-  
plex; sunt enim Imperij statutum alii Catho-  
lici, alii Confessioni Augustanae addicti ( seu  
protestantes ) dicuntur. alii Reformati vo-  
cantur, art. 7. vers. Unanimi. d.*

D. Memini hic substitisse quosdam,  
dum in Instrumento Pacis legebant no-  
men hoc ( Catholici ) & quæfivisse, qui-  
nam h̄ic Catholicorum nomine subintel-  
ligantur? Responsum est eis, Eosdem  
intelligi, qui in Transactione Passavensi,  
qui in Pace Religionis, qui in aliis omni-  
bus Imperii Constitutionibus, denique  
qui alias omnium Christianorum consen-  
su, sub hoc nomine intelliguntur, *Roma-  
nos sc.* Sed hoc responso non satisfacti re-  
plicabant, Ergò publicâ totius S. R. I.

Con-

Confessione , Statuumque affirmatione  
Romanorum religio sola est Catholica ?  
Universalis sola ? Ergo verum est dicere ,  
Romanos esse Catholicos ? Ulterius cum  
Doctissimo Caramuele subsumentes .

Doctrina quae Catholica , & Universalis est , tenenda est .

Sed , ( ex Instrumento pacis , aliisque  
recessibus Imperii citatis ) nulla assertio  
Universalior & magis Catholica est ,  
quam haec , *Romani sunt Catholicī* .

Ergo haec assertio ab omni Christiano  
tenenda est .

Sed quicunque vult salvus esse , ante  
omnia opus est , ut teneat Catholicam fi-  
dem , hoc est ut sit Catholicus .

Ergo ante omnia opus est , ut qui vult  
salvus esse , teneat fidem Romanam .

Sed quia haec & similia ad controver-  
siarum materiam , non hic spectant :

Ad alterum Imperii statum redeo , eum-  
que ex Imp. Comitiis Spirensibus de An-  
no . 1529 . ( ubi protestantis nomen me-  
ruit : ) magis , quam ex Aug . Confess . no-  
tum esse , dico : disputant enim , quis ei-

A s dem

dem Confessioni verè addicetus etiamnum  
hodie dici mereatur : Cujus litis, meo  
quidem judicio Originale Confessionis in  
Imperii archivō servatum, & cum pu-  
blicis Protestantium Confessionibus, &  
doctrinis modernis collatum brevem de-  
cisionem dare poterit.

Tertiam ( *Reformatorum* ) Classem  
extra supra cit. art. 7. vers. Unanimi. non  
novissem. Nullam enim S. R. Imperio ab  
iis confessionem aliquam oblatam scio,  
ex qua dignosci potuissent, quamvis sub  
Pacis Anno. 1555. sanctæ umbra satis  
diu tutoque latuerint. Sed quamnam  
conniventiae hujus gratiam retulerunt  
Catholici ? Quidquid sit, sufficit eos in  
jura & beneficia Imperii, æquè ac Pro-  
testantes nunc receptos esse, ut loc. cit.  
expressè habetur.

Si quartis, quomodo horum paucis ab-  
hinc annis à Catholicis receptorum Sta-  
tuum doctrina, non interruptâ serie ab A-  
postolis huc usq; derivata dici, quomodo  
DEUS tribus diversis, iisque contrariis  
prorsus Religionibus, & à qualibet ta-  
men

men parte ( juxta quæst. 2. ) debitè colli possit : Resp. iurius. Non esse controversias hic tractandas , transeo ad quæstionem

## V.

*An nominatae jam tres Religiones iisdem prorsus Imperii juribus , & beneficiis hodie gaudeant? Resp. quod sic. art. 7. v. Unani- mi & art. 5. §. 1. vers. transactio. circa finem. e.*

E. Sed non eodem modo , quoad prærogativam , Catholicorum enim , ut antiqua , & Universalis per se , & proprio jure . In pace Relig. §. alßdann auch denen Ständen der Alten Religion.

*Protestantium , ut Anno 1517. orta , An- nis 1552. 1555. 1556. à Catholicis permissa. ibid. die Ständ der Augspurgischen Con- fession.*

*Reformatorum , ut vigore Instrumenti pacis loc. cit. in posterum toleranda.*

Hæsitabant hic oculatores , quod iti- dem communī Statuum Confessione An- tiquitas soli Religioni Romano-Catho- licæ tribuatur , quod in præsentie ego non moror.

A 6

VI.

## VI.

*An Præter duas ultimas nulla alia in S. R. Imperio Religio permissa sit?* Resp. quod non: art. 7. vers. si verò aliqua, in fine. f.

F. Faxit DEUS ut hujus dispositio-  
nis effectum in eorum Statuum territoriis,  
ubi etiamnum hodie aliorum sectario-  
rum cohortes morantur, brevi experiri  
valeamus.

## VII.

*An libertas Religionis (seu conscientiæ)  
in Instrumento pacis permissa sit?* Resp.  
quod sic. art. 7. vers. salvâ itidem cuiusque  
conscientiæ libertate: art. 5. §. 12. vers. p'a-  
cuit porro, & alibi sèpius. g.

G. Sunt aliqui, qui credunt disposi-  
tionem hanc necessariò supponere: *In sua  
quemque fide salvari posse*, contra Apostol.  
ad Ephes. 4. 5. Quidquid sit, Libertas  
hæc ultra illas in præcedenti quæst. 4.  
memoratas tres Religiones extendenda  
non est, adeoque qui ab una harum V. 9.  
ad Anabaptistas, vel alios Sectarios, post  
hac transierit, tolerandus non foret, pos-  
setque

setque contra talem Reformandi jus ,  
nullo emigrandi jure concessò , rigorosè  
exerceri . Juxta id quod cit . art . 7 . vers . si  
verò aliqua . in fine . expressè habetur .

Profundiorem quæstio hæc mereretur  
deductionem , sed dum à paucis eam con-  
siderari video , pergo ad quæstionem

## VIII.

*Quid si ex Catholicis Archi Episcopus , Epi-  
scopus , Prælatus , vel alterius ordinis Eccle-  
siastici Ancistes , solus , vel una cum suis Ca-  
pitularibus , aut Canonicis , aliquibus , vel  
omnibus , Religionem suam post hoc mutaret ,  
& ad alterutram ex duabus permisis trans-  
iret ? Resp . transiret , & defectus hic à Ca-  
tholicis impediri non posset , art . 5 . § . 3 . vers .  
si gitur . b .*

H . Sed nonne prudenter timendum ,  
dispositioni huic tacitam illam ( conscien-  
tiā tuā onerantes , nostrā sublevantes )  
in esse clausulam ? Nota tamen , quod  
eiusmodi transeuns ( quantumvis proprio  
honore , & famâ illibatis , simulque fru-  
ctibus , & redditibus interea perceptis , &

A 7 con-

consumptis, illi relinquendis ) omnia jura, bonaque Ecclesiastica prius habita, eo prorsus modo, ac si ipse mortuus esset, amittat, liberumque sit Capitulo, Monasterio, Ecclesiæ, aut cui id de jure competit, aliam personam illi Religioni, ad quam beneficium istud vigore Instrumenti pacis pertinet, addictam, statim eligerre, aut postulare, & redditibus insuper, aliisque iuribus Ecclesiasticis, usq; dum alius debitè electus fuerit, frui.

Eodem prorsus modo dispositum inventitur, si Augustanae Confessioni addictus in Archi-Episcopum, Episcopum, Praelatum, electus vel postulatus, ad alterutram ex duabus reliquis transiret.

Quod idem (suo modo) etiam de quolibet Ecclesiastico privato Religionem suam mutante intelligi debet. loc. cit.

Aliud dicendum foret, si ex Sæcularibus Imperii statibus quispiam Religionem suam mutaret, non n. in Instrumento pacis habetur, ejusmodi quidquam amittere.

Habes forte, quod cum Ernesto de Eusebiis

sebiis contra hanc dispositionem objiciās,  
sed quia hic Pacificus sum, ulteriore  
ideorei hujus discussionem proximē sub-  
secuturo Manuali meo controverso refe-  
ratum, interimque ad subtilissimi Cara-  
muelis pacem licitam demonstratam, bre-  
vitatis causa, te remissum volo. Sed  
quæres

## IX.

*An secularis quis Imperii status (Prin-  
ceps. V. 9.) Religionem suam post hac mu-  
tans, subditos suos ad eandem noviter suscep-  
tam adigere possit?* Resp. quod non: loc.  
*supra cit. i.*

I. Sed an possit eam publicè in Terri-  
torium suum introducere? Et distingue.

Vel transit *Catholicus* ad alterutram  
reliquarum duarum Religionum, & tunc  
jure superioritatis exercitium Religionis  
illius recens susceptæ in Territorium su-  
um publicè introducere poterit: Incolæ  
ta nen, & subditi migrare, aut suam, in  
cuus sive publico sive privato exercitio  
Anno 1624. quacunq; anni parte fuerunt,  
Reli-

Religionem deferere non debebunt, sed eandem, eodemque prorsus modo, cum annexis omnibus, quatenus illa dicto Anno exexcuerunt, retinere poterunt. art. 5. §. 12. vers. quantum deinde. ubi annexa enumerantur.

Idem est si Protestantium, aut Reformatorum aliquis Imperii Status ad Catholicam Religionem transmigraret. loc. citat.

Vel transit Augustanae Confessioni addictus ad Reformatorum Religionem, vel vicissim Reformatus ad Confess. *Augustanam*, Et tunc *Neuter* horum, noviter suscepitæ Religionis suæ exercitium in Territorium suum introducere, sed Aulicos solummodo Confessionis suæ Concionatores, citra subditorum onus, aut præjudicium, secum atque in Residentia sua habere poterit, sine ullâ aliâs in Territorio suo ea propter factâ mutatione.

Idem est si alteruter horum Statuum sive jure successionis, sive alio quocunq; titulo Principatum, vel Ditionem, ubi alterius partis sacra exercitio publico vigent,

vigent, natus fuerit, vel recuperaverit: Hoc enim mutationis, & recuperationis casu, Ipsi Communitatibus licebit Ecclesiarum, Scholarum &c. suæ Religionis Ministros ( à Principe, seu Territorii Domino sine recusatione confirmandos) nominare, & præsentare. Quod si vetò Communitatum aliqua Religionem à Domino suo noviter suscepitam ultrò amplecti voluerit, & ejusdem exercitum suo sumptu petierit, Liberum erit Domino illud ( à successoribus postmodum non auferendum) sine præjudicio tamen reliquarum Communitatum ei indulgere.

Ratio autem diversitatis hujus in Instrumento Pacis. art. 7. vers. Unanimi. his verbis exprimitur.

Quoniam verò controversie Religionis quæ inter modo dictos Protestantes vertuntur, hactenus non fuerunt composite, sed ulteriori compositioni reservatae sunt adeoq; illi duas partes constituant, ideo de jure reformati inter utramque ( ut jam dictum) conventum est: &c.

Ex

Ex quo veritas illius, cuius supra q. 4.  
vers. quod ad alterum: memini, sufficien-  
ter elucescit. ubi vide.

Si quæris quinam subditorum nomine  
in proposita, & sequentibus quæstioni-  
bus veniant? Resp. non privatos tantum,  
sed et Comites, Barones, Nobiles, Vasal-  
los, Civitates, Fundationes, Monasteria,  
Commendas, Communitates Statibus  
Imperii immediatis sive Ecclesiasticis,  
sive Sæcularibus subjectas sub hoc nomi-  
ne & dispositione intelligi, & compre-  
hendi. cit. §. 12

Nec dicas, hoc modo Statibus Imperii  
competens jus reformandi, si non prorsus  
ademptum, notabiliter saltem impedi-  
tum esse. Resp. enim, Jus illud loc. cit.  
potius esse confirmatum, & casus, ubi  
plenariè exerceri valeat, dari vide annot.  
ad q. 7. & infra. licet alias tam ratione  
publici exercitii, quam aliarum rerum  
Religionem concernentium, status jam  
jam allegandus ad unguem observandus  
sit;

X.

## X.

*Quodanam tempus tam ratione Exercitiū Religionis sive publici, sive privati, quam aliarum rerum Religionem concernentium pro norma & regula universalī observandum? Resp. reductionem faciendam esse ad Primam Ianuarii Anni 1624. k.*

**K** Ita ut in omnibus, & singulis Religionem concernentibus idem status ubique manere debeat, qui fuit Anno dieque jam dictis. art. 5. §. 2. vers. terminus à quo. §. 14. in fin. art. 5. § 9. vers. quæcunque & alibi.

*Hoc volo dicere, Statuum Catholicorum subditos qui sive publicum, sive privatum August. Confessionis exercitium dicto Anno 1624. quacunque anni parte, & quocunque modo habuerunt, in eodem etiam posthac manere posse.*

*Quod idem observandum est ratione Catholicorum Augustanæ Confessionis Statibus subditorum, nullo nec superioritate, nec reformati jure hoc casu obstante. art. 5. §. 12.*

*Noli*

*Noli confundi*, dum quandoque pri-  
mus Januarii cum Anno 1624. quando-  
que solus Annus, quandoque Annus cum  
quacunque ejus parte in Instrumento Pa-  
cis expressè observandus præcipitur.  
Discrimine enim inter ipsa bona Eccle-  
siastica, eorumque restitutionem (quod  
Statutus Imperii immediatos, ut plurimum  
tangit) & ipsum religionis exercitium  
(de quo solum hic) observato, nulla re-  
manebit difficultas: In illis restituendis  
siquidem præcisè terminus Primæ Janua-  
rii dicti Anni 1624. observandus art. 5.  
§. 2. In hoc sive publico, sive privato  
quæcunque dicti jam Anni pars (quoad  
subditos & Communitates) attendenda  
veniat, ita ut ubi religionis exercitium  
sive publicum, sive privatum quacunque  
Anni 1624. parte viguerit, ibidem illud  
eodem prorsus modo manutenendum sit,  
loc. cit.

Confer hic quæ infra. q. 14. in *Pater* 2.  
annotamus, & ratio hujus clarè elucefcet.

Cæterum habeo hīc, cur paulisper sub-  
sistam, qui enim in Sanctissimas quasque  
res

res incidere potest, ac solet, ille ipse se hic  
ingerit abusus. Nascitur autem ex duobus  
maximè principiis Malitiâ, & Ignor-  
rantia, semper culpabilibus. Sciunt  
*Docti*, & novit *Arator*, tam in puncto re-  
ligionis, ejusque exercitii sive publici  
sive privati, quam in Ecclesiasticis, &  
quæ intuitu eorum in Politicis mutata  
sunt, Terminum à quo esse Primam Jan.  
Anni 1624.

Sed quid sibi hoc velit, vel crassè igno-  
rant vel malitiosè dissimulant, quo fit ut  
omnia eaque levissima, sive cùm religio-  
ne & rebus Ecclesiasticis connexionem  
aliquam habeant, sive non, ad dictum  
diem, Annumque redacta velint.

*Quod si Anno. 1624.* io civitate Catholi-  
ca, quidam *Augustanæ Confessioni* addi-  
cti cives, ob morum honestatem, in sena-  
tores electi fuissent liberè: An propter  
ea Civitas illa ad alios ejusdem religio-  
nis in Magistratum suscipiendos, vigo-  
re termini hujus à quo, etiam hodie cogi  
poterit?

An Ecclesia. i. Jan. Ann. 1624, forte  
de-

deformis desolata, & prophanata, talis & hodie manere debet? Anne meliorationes interim factæ amovendæ, & vermiculosa antiquata reponenda?

An transitus per Ceimiterium, aliumve locum pium à Monasterio Civitati, ex mera humanitate, libera voluntate, aut majoris commoditatis gratia. i. Jan. 1624. fortè concessus, hodie propterea necessariò concedendus? An Monasterio libera rerum suarum administratio ad statum dicti termini à quo indistincte restringi poterit? Rides hæc, sed contigere tamen & absurdiora fortè; quæ recensere non tam odiosum, quam fastidiosum fore, sufficit hanc legis mentem non esse, adeoque Instrumento Pacis abuti eos, qui terminum illum, à quo, non nisi secundum dispositionem Instrumenti Pacis, intelligendum ad obvia quæque accommodare præsumunt.

## XL

*An qui nulla dicti anni 1624. parte publicum vel privatum Religionis suæ exercitium habue-*

habuerunt, & tamen diversam à Territorii  
Domino Religionem habeant, eamque dein-  
ceps profiteri volent, ab eodem Domino ad  
eam, quam ipse profiterur Religionem com-  
pelli possint? Resp. quod non. art. 5. §. 12.  
vers. placuit porro. m.

M. Essent enim tales patienter tole-  
randi, ipsisque conscientia libera domi  
devotioni suæ sine ulla turbatione priva-  
tim vacare; Publico autem Religionis  
suæ exercitio non nisi in vicinia, ubi &  
quoties voluerint, interesse concedendum  
foret. loc. cit.

Intellige hoc, nisi emigrare cogantur,  
aut sua sponte voluerint, quo casu eis aut  
sua sponte voluerint, quo casu eis aut  
bona sua retinere, & per alios admini-  
strare, aut ea omnino alienare, cit. vers.  
quod si verò integrum omnino erit.

Duo hic oriuntur dubia: Primum, An  
devotioni suæ domi privatim vacare idem  
sit, ac privatum habere Religionis suæ  
exercitium, & dico quod non. vide in-  
fra. q. 18. Ubi quomodo hæc duo inter-  
se distinguantur, & quales unius vel alte-  
rius sint effectus, explicatur. Se-

Secundum, An ejusmodi subditus (a quo quæstio hæc) etiam privatum Religionis suæ exercitium (quod fortè in vicinia habetur) frequentare possit? Et sancè cum Instrumentum pacis. loc. cit. non nisi publici mentionem faciat, non ausim affirmativè respondere, sed vel domestica devotione contentus esse, vel publicum alibi Religionis suæ exercitium adire debet, plura de his vide. infr. q. 18.

## XII.

*An quilibet ob Religionis diversitatem & Territorii Domino ad emigrandum cogi possit?* Resp. quod non. n.

N. Sunt enim horum duo tantum genera, Alii de quibus in præc. q. modo dictum est, Alii qui post pacem publicatum Religionem suam mutarunt. art. 5. v. quod si verò. & vers. conventum autem. Nam supra q. 10. vidimus, Eos qui Religionis suæ exercitium sive publicum, sive privatum Anno 1624. quacunque anni parte habuerunt, & in eodem persistere cogitant, ad emigrandum cogi non posse, sed in eodem

Item à Territorii Domino imperturbatos omnino relinquendos esse.

Notabilis autem estratione termini ad emigrandum præfigendi differentia, Illis enim de quibus jam dicta q. 11. loquitur, non minor quinquennio, iis vero qui post pacem publicatam Religionem suam mutarunt, non minor triennio constituendus erit. loc. cit. quib. elapsis si necdum migrare voluerint ad frequentanda illius loci divina non immerito adigi poterunt.

Neque vero hujusmodi sive voluntariæ, sive coactæ emigrantibus Nativitatis Ingenuitatis, Manumissionis, Noti officii, honestæque vitæ testimonia dengentur, aut iidem reversalibus inusitatibus, vel decimationibus substantiæ secum exportatae plus æquo extensis prægraventur, multo minus spontaneam suscipientur, illis emigrationem servitutis, aut ullo alio prætextu impedimentum inferatur. loc. cit.

Patet ex hoc illius dubii resolutio, quod in Compos. pacis, Ann. 1629. Dillingæ edita. quæst. 33. movetur. Nim:

B

quid

quid sentiendum sit de *Mancipiis vulgo, Leibeigenen*? Num & hi jus migrandi habent, si *Religiōi*, cui eorum Dominus, adhāret, se conformare nolint? Cūm enim Instrumentum pacis hīc inter personarum status non distinguat, nec nos distinguere debemus, sed pacem *religionis* §. 100. So aber in Append. lit. i. in lat. vers. n. 10. quoad hoc declarari non immeritò quis dixerit, Licet ea in cæteris, ubi statuit, das ratione Eines zimblichen billigen Abtrags der Leibaigenschaft und Nachstewer (de quo Schvvanman. in suo Compend. Juris emigrat.) der Obrigkeit nichts abgebrochen / oder benommen seyn solle/ in vigore suo integra maneat.

### XIII.

*An Feudi Dominus vigore directi Domini Religionis sua exercitium in illud introduce-re possit?* Resp. quod non. art. §. §. 14. vers. à sola qualitate. o.

O. *Ius enim reformandi à sola qualitate feudalī vel subfeudalī non dependet, adeoque omnia in eo statu, in quo Anno.*

1624.

1624. fuerunt, relinquenda sunt; quemadmodum nec sola criminalis in loco aliquo competens jurisdictio [vulgo] Cen-  
gericht/ nec solum jus gladii, Retencionis,  
Patronatus, aut Filiationis, sive conjun-  
ctim sive divisim sumantur, reformandi  
potestatem tribuunt. loc. cit.

#### XIV.

*An Dominus directus in terras ante hac op-  
pigneratas, & demum ad se reversas Reli-  
gionis suæ exercitium publicè introducere  
possit? Respond. quod sic. art. 5. vers. omnia  
quoque in fin. p.*

P. Incolæ tamen, aut Subditi migrare,  
aut suani quam sub priori possessore am-  
plexi fuerunt, religionem deserere non co-  
gentur, de publico verò Religionis suæ  
exercitio inter ipsos, & reluentem Domini-  
num directum transigendum foret. loc.  
cit. ex quo.

Pateri. quod si feudum vel ex caduci-  
tate, vel ex feloniam, vel alio quocunque  
modo ad Dominum directum redierit,  
idem definiendum esse. Ita sc. ut pri-

B 2 mo

mo illorum qui Anno 1624. in publico vel  
privato Religionis suæ exercitio fuerunt,  
Secundo eorum, qui nulla An. 1624. par-  
te exercitium aliquod habuerunt, & ex  
his

*Tertiò*, eorum qui ex postfacto & pu-  
blicatâ jam pace Religionem mutârunt,  
accurata ratio habenda, & respectu illo-  
rum secundum quæst. 10. istorum secun-  
dum quæst. 11. Horum verò secundum  
quæst. 12. (nisi inter Dominum, & ejus-  
modi Subditos mutuo consensu aliter  
conventum fuerit) procedendum sit.

*Patet.* 2. inter Dominum, ejusque Sub-  
ditos de Religione, ejusque exercitio sive  
publico, sive privato aliter, atquè aliter  
instituendo, mutuo consensu conveniri,  
adeoque Instrumento Pacis quatantenus  
derogari posse, cùm dispositio Instrumen-  
ti pacis circa Religionis exercitium dicti  
An. 1624. in favorem potius subditorum  
directa sit, & quilibet favori pro se intro-  
ducto renuntiares & aliud cum superioris  
sui consensu statuere possit, art. 5. §. 12.

## XV.

*Quid si inter duos diversarum Religionum  
de Iure Territorii ac superioritatis contro-  
versia sit, An ambo publica Religionum sua-  
rum exercitia introducere possint? Respon.  
quod non cit. §.14. versl. Territorii. q.*

**Q.** Sed unus; itaque tantum qui in  
eiusdem publici exercitii possessione vel  
quasi i. Jan. 1624. fuit. Et hoc casu con-  
dominorum alter privato Religionis suæ  
exercitio, ad modum supra in q.9. expla-  
natum contentus esse debet, donec su-  
per possessorio, & petitorio decisum fue-  
rit, non obstante, Vnde, aut quando orta  
fuerit controversia. loc. cit..

## XVI.

*Quid si duo diversarum Religionum unius  
tamen Territorii ex aequo condomini sint, An  
hoc casu quilibet publicum Religionis suæ ex-  
ercitium ibidem instituere possit? Resp. quod  
non. cit. §.14. versl. in iis locis. r..*

**R.** Intelligas autem hoc procedere  
casu quo Vnus tantum illorum i. Jan.

B. 3

1624.

1624. in possessione vel quasi publici exercitii Religionis suæ fuerit, talis enim idemque prorsus status ratione Religionis manere debet. loc. cit. Alteri non nisi Religionis suæ exercitio privatim concessu. *Alius* enim si quilibet memorato Anno, licet in diversis ejusdem mensibus publicum Religionis suæ exercitium habuisset, sine dubio etiam affirmativè respondendum foret. Confer huc. q. 10. & ratio responsionis apparebit.

N.B. *Etsi* verò ad propositam quæstionem Instrumentum pacis. loc. cit. eo quo jam dixi modo, disponere videatur, scio tamen hanc eandem inter alias designatas materias Imp. Statibus Ratisbonæ, 29. Jul. anno nuper elapsō 1653. ad ulteriorem deliberationem per dictaturam esse communicatam, à quibus igitur ultimata decisio meritò exspectatur.

Quantum suspicari licet, non exiguum anterioris hujus deliberationis ansam dat. textus in art. §. §. 2. v. terminus autem. ubi ita dicitur. *Terminus autem Anni. 1624. nullum prejudicium oreare deberet iis,*  
*qui*

*qui ex capite Amnistiae, aut aliunde restituendi veniunt.*

Quid si nunc Condominorum unus occasione fortè bellii toto tempore, & anno illo absens, & ex capite Amnistiae redeuns, unā cū Condomino ( qui d. Anno 1654, in possessione vel quasi exercitii publici Religionis suæ ibidem mansit ) & suam publicè exercere voluerit? Si huic annueris, jam limitanda erit ad hunc tex-tum Instrumenti pacis in responsione al-legata dispositio. Si denegaveris, tex-tus hic carebit effectu, nisi eum frustra insertum dixeris. Tutius igitur erit Sta-tuum resolutionem desuper exspectare. Similes casus ferè dubii, quorum decisio-nem Comitia dabunt, sequenti quest-annectentur.

## XVII.

*An liberis Imperii Civitatibus tam ratione juris reformandi, quam aliorum casuum Re-ligionem concernentium idem cum reliquis Statibus Imperii superioribus jus competit?*  
Resp. quod sic. art. 5. §. II. vers. libere. s.

B. 4.

S. Quodl.

S. *Quod* non tantum respectu Civium  
intra muros & suburbia, sed etiam quoad  
subditos in territoriis suis intelligendum  
est. Ita tamen, ut ( sive unica tantum,  
sive plures Religiones An. 1624. in ejus-  
modi civitatibus viguerint ) omnes Eccle-  
siæ Collegiatæ, Capitula, Monasteria,  
Cœnobia in iis sita ( sint immediatè, vel  
mediatè Imperio subiecta ) in eodem pro-  
sus Statu cum Clero, & civibus Catholi-  
cis ibidem existentibus tam activè, quam  
passivè relinquendis, qui fuit i. Jan. 1624.  
deinceps quoque manere, & Neutra par-  
tium alteram de religionis suæ exercitiis,  
Ecclesiæ ritibus, & Ceremoniis deturba-  
re, sed potius pacificè, & comiter invicem  
cohabitare, liberumque Religionis suæ,  
& bonorum usum habere debeant. loc.  
cit.

Nullus etiam ob diversam Religio-  
nem suam despiciatui habendus, nec à  
Mercatorum, opificum, aut Tribuum  
communione, aut alio officio publico,  
hæreditatibus, Legatis, Hospitalibus,  
Leprosoriis, Eleemosynis, aliisque juri-  
bus,

bus, aut commerciis, multò minus publi-  
cis Cæmiteriis, honoreve sepulturæ ar-  
cendus erit.

Nec quidquam pro exhibitione fune-  
ris à superstitionibus exigendum, præter cu-  
jusque parochialis Ecclesiæ jura pro de-  
mortuis pendi solita, sed in his & simili-  
bus pari concives jure tractandi erunt æ-  
quali justitia, protectioneque tuti. vers.  
placuit porro.

O quam consultum foret, si dispositio  
hæc paulo diligentius hodie observare-  
tur! Non essent tot Pupillorum raptus,  
Non tot Viduarum angustiæ & suspiria,  
Non tot desperationes, & animarum In-  
terioritus, Non tot coacta Matrimonia, Non  
tot incontinentiæ, Non tot persecutiones,  
Non tot denegatæ & protractæ Justitiæ,  
Non tanta denique in imponendis oneri-  
bus publicis disproportio. Sed tu DEUS  
Protector illorum sis, & non relinquas eos  
orphanos!

*Memini hic, duo in Comitiis orta fuisse  
dubia, Primum, An in Civitatibus mixtis,  
Imperio immediatè subjectis ( ubi V. 9.*

B s tota

tota Communitas comprehenso Magistratu in duas diversas abit Religiones & quælibet pars A. 1624. in publici Religionis suæ exercitii possessione vel quasi huc usque fuit) Utrique liberum sit, ea quæ ad augmentum, ornamentum, conservationem, solatium, & necessitatem Religionis suæ exercitii inservire poterunt, sive illa consistant in erectione novarum foundationum, sacrarum ædium, Scholarum, Monasteriorum, Introductione, vel mutatione personarum Ecclesiasticarum: Non obstante quod ejusmodi dicto An. 1624. i. Jan. non fuerint, propriis sumptibus, sine diminutione boni publici deinceps introducere, & instituere?

*Si concesseris, obstare videtur Instrumentum pacis art. 5. §. 9. & locis hic usque cit. ubi expressè disponitur, quod unicum solum observantiae future fundatum esse debeat die prima Ianuarii Anni 1624. habitæ possessio.*

*Sine negareris aliam, quam jam memoratam negativæ rationem dare non poteris, cum tamen in proposito casu æqualis utriusque*

usque partis conditio esset, nulli injuria fieret, & quod uni parti justum, id & alteri sine prajudicio cuiusque justum foret.

Secundum dubium Civitates Municipales tangit, & querit, An Territorii Domino (vulgò dem Landtsfürsten / oder Landtssherren) liberum integrumque sit, ædes illas sacras (Templa. V. g. aut Monasteria) quas in civitatibus sibi subjectis reperit omnino devastatas, desolatas, & proderelictis quasi habitas (quæ tamen ad Magistratum loci non, sed ad ipsum territorii Dominum, vel eum cuius jurisdictionem in Spiritualibus Ecclesiasticam Civitas illa agnoscit, spectent) sive pro se, sive pro Aulicis suis, vel pro aliis suæ Religionis ibidem existentibus Civibus & subditis præsentibus, & futuris reparare, & (maxime cum memoratam Civitatem in suæ A. 1624. habito Religionis exercitio impedire noller) in iis Religionis suæ exercitium instituere, Imo etiam si ejusmodi devastatae non reperirentur, an novas omnino eum in finem ibidem adscire possit?

Pos-

*Possent sane in utrumque rationes adduci, sed quia privato S.R.I. Statuum decisionem judicio prævenire velle, temerarium esset, ideo ad Comitia te remitto.*

Nota hic, quod omnia huc usque in puncto Religionis, ejusque exercitii de Statibus Imperii superioribus, liberisque Civitatibus dicta, etiam de Libera, & immediata Imperii Nobilitate & singulis ejus membris, una cum subditis & bonis suis feudalibus, & allodialibus intellegenda sint, licet alias sub Statuum nomine nondum veniant.

## XVIII.

*In quo consistat Publicum, & Privatum Religionis exercitium? Resp. in sequentiibus: t.*

T. Si publicum in abstracto sumatur, est illud primò *Ratione Loci*, quando nimis in loco publico *aliquid fit*, ut sunt via Regia, Prata publica, Theatra, idem Aedes sacræ, templa &c. quæcum sunt Universitatis, merito ea quæ in eis fiunt, publica dicuntur. Secundò ratione **U S U S**,  
quan-

quando sc. ad communem populi usum,  
adeoque publicis usibus quid est destinatum.

Si verò ad Religionis exercitium proprius descendamus, debet illud, Tertiò dici posse publicum etiam ratione *Authoritatis, ut sc. ab aliquo Legitimā authoritate fiat.* Fides enim ex auditu, sed quomodo audient, nisi prædicetur? Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Rom: 10. 15.

*Quicunque igitur Religionis suæ per Ecclesiasticum ad hoc (suo modo) legitimè ordinatum in loco publico ad communem Populi usum, exercendæ potens est, Is publicum Religionis suæ exercitium, seu jus exercendi habere dicitur.*

*Quicunque verò Religionem suam in ædibus aut Residentia sua ad suum, suorumque domesticorum usum tantum per ejusmodi Ecclesiasticum exercere teneatur, is non nisi privatum Religionis suæ exercitium habet, ut ex Instr. pacis. q. 9. dictum est.*

*Ex quo patet. i. Exercitium Religionis tam*

citium privatum non nisi domesticos ,  
reliquis quibuscumque exclusis , ad-  
mittat.

## XIX.

*An etiamnum hodie liceat de Religione  
disputare ? Resp. quod sic. u.*

V. Idem describendo , concionando ,  
docendo , consulendo judicandum est :  
Quomodo enim hoc prohiberi ? Quomo-  
do sine hoc quispiam in Religione sua  
( quam unicam credit salvificam ) instrui  
posset ? Quicunque ergo imposterum Re-  
ligionis suæ fundamenra ptobè deduxer-  
it , vel proximum pia cum moderatione  
ad orthodoxam fidem converterit , in  
art. 5. §. 17. v. Utriusque peccâsse dici non  
poterit.

Prohibentur enim loc. jam cit. solum-  
modo actus illi , qui in *Transactions Pas-  
savensis* , *Pacis Religionis* , & *Instrumenti*  
*pacis* impugnationem directè tendunt ,  
quod cum de *religione* secundum se  
locuti fuerimus , timendum non erit .

Pum

tam publicum, quam privatum sine Ecclesiastico ad id specialiter ordinato absolutè, nec esse, nec dici posse. Ideo quocunque sine tali, sive orando, sive legendendo, sive canendo, sive dicendo Domi feceris, Exercitii nomen neutquam merebitur, sed tunc devotioni tue vacasse diceras. de quo supra. q. ii. ubi vide..

*Paret 2.* eos qui privato Religionis suæ exercitio instituendo fruuntur, si proprium Parochum (quod possunt) in ædibus non alant, tempore infirmitatis, baptizandi infantis, Matrimonii confirmandi &c. aliunde quempiam ad Residentias suas vocare posse, & hoc non tantum pro se, sed etiam pro omnibus, & singulis familiae suæ domesticæ consortibus.

Pro exteris verò, aut cæteris suis subditis nullatenus licere, sed his (memoratis jam, aut similibus casibus emergentibus) ad ea loca, ubi publicum Religionis illius exercitium vigeret, abeundum, adeoque verum esse, quod in q. ii. ad duobus secundum respondimus, cum exercitium.

*Dum* verò text. in loc. cit. ejusmodi contraventiones pacis prohibet. Prohibet simul ea omnia edi & promulgari, quæ in memorata transactione Passavensi, & Pace Religiosa non continentur, ut sunt Papam esse Antichristum, Papistas Idololatras &c. omniaque ea quæ hodie Typis evulgantur, in memorata tamen Pace (stricti quippe juris) ne verbo quidem comprehensa sunt.

Inanis est (loquor cum Thoma de I. cap. 1. Religionis custodia, si scommatis magis, quam pietati, si acuminis potius, quam veritati opera detur, cum timor Domini initium sapientiae sit, & omnne acumen à piâ simplicitate disjunctionem merito culpandum veniat.

## XX.

*Quamdiu* *huc usque memoratae, & vi* *Instrumenti pacis in materia Religionis obser-*  
*vandæ dispositio**n**nes in Imperio duraturæ sint?*  
*Resp.* *donec per gratiam DEI de Religione*  
*ipsa convenerit.* artic. 5. §. 2. vers. do-  
*nec.* vv.

W. Si

*Sic cum Ernesto de Eusebiis hanc respon-  
sionem exsibilans, eas consequenter per-  
petuo moraliter servandas dixeris, nil re-  
pono, nisi omnem æternitatem politicam  
(qualis hæc) habere finem & dum hic de-  
terminatè non cognoscitur, perpetuam  
dici, cæterum ad subtilissimi Caramuelis  
pacem licitam demonstratam brevitatis  
causa te remitto.*

*Et cur veræ fidei unitatem consequi  
impossibile judicas? Si in voluntate de-  
fectum adstruis dices aliquid, sed ea non  
minus mutationi subest, si in potestate,  
falleris, Methodum enim certam, Pacem  
Religionis in Europa, & veræ fidei unita-  
tem consequendi, toti nuper Imperio  
Author quidam ( Joannes Semannus in-  
scribitur ) Laudatissimus obtulit, quem  
inspice.*

## CONCLUSIO.

*Hæc sunt, Amice Lector, quæ de Reli-  
gione, ejusque sive publico, sive privato  
exercendi jure in Instrumento Pacis Uni-  
versaliora videbantur, quibus probè per-  
spe-*

*spēctis vix casus occurrē poterit, cujus solutio exinde desumi nequeat.*

*DIXI, quæ Universaliora videbantur. Ea n. de quibus in Instrumento pacis specialiter dispositum invenitur, sive LAUDATISSIMÆ Domus Austriacæ terras, sive alios Imperii Status in specie concernant, suo loco & dispositione meritò relinquenda huc non spectant.*

*Restat nunc de Jurisdictione Ecclesiastica pauca addere.*

*Dicitur in Instrumento pacis art. 5. §. 16. quod jurisdictione Ecclesiastica contra Augustane Confessioni addictos quoscunque in casibus eandem Confessionem cernentibus, usque ad compositionem Christianam dissidii Religionis suspensa esse, & intra terminos Territorii se continere debeat, Quod idem legitur in pace Relig. §. dmit auch obberührte. Ex quo*

*Colligitur 1, aliud esse non habere jurisdictionem, & aliud eam non exercere, seu esse suspensam donec per gratiam DEI mutatio interveniat,*

*Colli-*

*Colligitur 2. Extra religionis materiam.*  
 V. g. ad consequendos reditus, census,  
 decimas, pensiones &c. Jurisdictionem  
 Ecclesiasticam *Catholicis* contra August.  
*Confessioni* ~~addictos~~ etiamnum hodie su-  
 spensam non esse, sed plenariè exerceri,  
 adeoque post trinam denunciationem ad  
 excommunicationem procedi posse, ma-  
 xime si A. 1624. ii in possessione vel quasi  
 exercitiū jurisdictionis illius fuerint. ut  
 loc. cit. expressè habetur.

*Quod idem observandum erit, si Au-*  
*gustanæ Confessioni* *addictus* memorato  
 Ann. 1624. jus Diæcesanum, quatenus  
*Episcopus*, in *Catholicos* exercuerit, ta-  
 le enim jus (ad finem modò dictum) non  
 minus ei salvum foret.

*Sed ad quem spectabit jus cognoscendi*  
*de causis Matrimonii, divorciis, commissæ*  
*Simoniæ, Jurispatronatus, Decimarum*  
*& similium causarum spiritualium in*  
*Diæcesi* *occurrentium?* Resp. solutionem  
 quæstionis hujus ab alia (adhuc indeci-  
 sa) dependere, eâ nim: quâ indagatur.

An

*An jam memoratae, & similes causæ spiri-  
tuales Religionem tangant, vel non? quod  
in præsenti ego non definiam, sed te ad  
Composit. Pacis. sup. q. 12. allegatam re-  
mitto, ubi quæst. 42. querelæ à Catho-  
licis de super in Comitiis Aug. 1559. 20.  
Julii. §. da auch/ item in Comit. Ratisbon.  
1594. & wie die Catholische. allatæ fusiū  
deducuntur, ex quibus decisio quæstio-  
nis propositæ quatantenus desumi pote-  
rit. ubi vide.*

*Liberas Imperii Civitates, ubi mixtæ  
religionis exercitium in usu est, quod at-  
tinget, Catholicis ibidem Episcopis contra  
cives Augustanæ Confessionis nulla est  
jurisdictio, at Catholici juxta observan-  
tiā dicti Anni. 1624. suo jure experiri  
poterunt loc. sup. cit.*

*De Bonis Ecclesiasticis, & Ecclesiasti-  
corum indeque juribus dependentibus,  
& rebus quibuscumque in præsenti nil  
tracto, Quorum tamen & sua mortalitas  
est, raditusque tanquam pilæ datatim de  
manu, in manum propelluntur. In his*

A

Si statum i. Jan. A. 1624. unicè præ oculis  
habueris, haud facile aberrabis. Finio  
& ex corde dico.

*Da mihi animas, cætera tolle  
tibi.*

F I N I S.



2. 2. 2. 2. 2. 2.

2. 2. 2. 2. 2. 2.













45.  
si statum i. Jan. A. 162.  
habueris, haud facile  
& ex corde dico.

*Da mihi animas  
tibi*

F I N



the scale towards document